



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti**

**Sá, Manuel de**

**Coloniae, 1610**

Beneficium

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41645**

1 **B**enedictæ aquæ aut oleum si addatur aqua non benedicta aut oleum, totum fit benedictum. Quidam tamen aiunt, semper, quod additur, debere minus esse eo, cui additur, quod ego non puto necessarium.

\* *Vide Syl. Aqua benedicta.*

2 Benedictio in secundis nuptijs non datur, si alteruter coniugum fuit alias benedictus. Quidam tamen dicunt posse iterum benedici, qui virginem ducit. Sunt & qui velint posse vtrumq; benedici, cum alteruter nunquam fuit benedictus. Puto ego seruandam consuetudinem regionis.

\* *Nau. c. 22. num. 83.*

3 Franciscani Sacerdotes, & qui eorum priuilegijs gaudent, possunt benedicere omnia Ecclesiæ ornamenta exceptis Corporalibus, quæ soli Generales, & Prouinciales eorumq; Vicarij possunt benedicere.

\* *Syl. Benedictio num. 4.*

4 Abbas qui potest exercere Pontificalia, potest benedicere omnia, vbi non interuenit vntio. *Ex Conc. Congreg.*

*Beneficium, vide Capitulum, Conductio, Clericus, Donatio, Ecclesia, Electio, Episcopus, Excommunicatio, Residentia, Simonia, Suspendio.*

1 **Q**ui habet beneficium sufficiens ad sustentationē, non potest tuta conscientia

tia aliud accipere: quod si à Papa in eo dispensetur, quis audeat tantæ auctoritatis factum condemnare? aut verò causæ, ob quam est dispensatum, æquitatem discutere? Potest quidē Confessor acquiescere dispensationi Papæ, etiam in duobus beneficijs Curatis: ipse qui possidet, an debeat, viderit: certè interim dum se putat bene possidere absolui potest; itemque dum per Vicarios bene prouidet pluribus curatis, etiamsi dubitet de iusta causa dispensationis: ritè enim possidet dispensante Papa: quanquam me auctore nemo non modo Curata duo, sed nec Simplicia habebit, si vnum sufficiat. Quin etiam optarem, vt iuxta Panor. doct. c. conquirente. de Cler. non resid. Papa ijs, qui duo habent beneficia, quorum alterum sufficit, alterum adimeret.

\* Vide Nau. c. 25. n. 125. Tol. l. 5. c. 81. Syl. Beneficium 4. n. 4. D. Thom. q. 9. art. 15. Sor. l. 3. q. 6. ar. 3. de iust. vbi de causis pluralitatem excusantibus. Trid. sess. 24. c. 17. Val. ti. 3. d. 5. q. 7. p. 2. Lopez p. 2. c. 101. fusè differentem. Salon. q. 63. ar. 2. cont. 5. Pet. Arrag. q. 63. ar. 2. de iust. Per vicarios. Caiet. ver. Beneficium.

2 Episcopus non potest dispensare ad duo Simplicia, si vnum est sufficiens; aut si vtrumque requirit residentiam; nec, secūdam quosdam, ad duo in eadem Ecclesia; quod tamen alij concedunt, si sint dissimilia officijs.

\* Fu. ver. Beneficium nu. 45. Salon tamen, l. c. concl.

*concl. vi. ex Sot. probat, posse Episcopum in minoribus non curatis dispensare iusta de causa. & hic est Hispaniarum mos.*

3 Ad pluralitatem eorum, quæ in Hispania præstimoniam vocantur, non requiritur dispensatio.

*\* Vide Sot. l. c. concl. 4. Val. l. c. assert. 4. Nau. l. c. num. 127. P. Arrag. l. c. pag. 217. At Beia q. 89. putat non posse defendi hanc sententiam post Trid. l. c. Præstimoniam autem sunt beneficia simplicia sine residentia. Val. P. Arrag. l. c.*

4 Dispensatio super pluralitate non valet, si aliquod beneficium in dispensationis petitione tacitum est. Nec valet impetratio beneficij à Papa, vel eius delegato, si tacetur aliud prius habitum: secus est si ab Ordinario impetretur. *Vide de præbend. & dignit. c. 6. & Clem. 2. de off. iudicis ordinarij.*

*\* Vide Lopez p. 1. c. 103. Syl. Benef. §. 5. c. 6. Sæ motu lib. 6.*

5 Habens dignitatem, aut Personatum, aut Curatum beneficium, si alterum tale accipiat, vacat prius ipso iure: quod nisi statim resignet, priuatur etiam secundo. *C. Multa de præbend. Sed id per sententiam iudicis: nec enim se debet ipse priuare; imò nec prius vacat, secundum Innocent. & Ioa. Andr. nisi à Iudice moneatur, id quæ post pacificam secundi possessionem. Sunt & quædam alia quæ excusant, quæ consultò omitto: iam enim sine dispen-*

B 4 fatio-

satione talia non possunt haberi; vbi autem est dispensatum, illis nihil est opus.

\* a. *Nauar. conf. 25. de pr. ab. Vide Par. de resign. benefic.*

6 Habens beneficium Curatum suo simplici annexum, non censetur habere curam animarum. At Vicariatus perpetuus Ecclesie Parochialis, tanquam beneficium Curatum habetur.

7 Habens Parochialem, aut huius Vicarium perpetuum, si intra annum à possessione pacifica non fit Sacerdos, priuatus est ipso iure, nisi iusto impedimento excusetur, aut Ecclesia sit Collegiata, vel Plebania, sub se habens Capellanos, vel ille curam per se exercere non teneatur, aut cum illo dispensetur. *Vide c. licet de elect. lib. 6.*

8 Poterat quidem Episcopus dispensare studij causa per septem annos, sed debebat ille tamē intra dictum tempus saltem Subdiaconatum suscipere, & interim Ecclesie per alium providere. Sed post Conc. Trid. nō est in vsu cum eo, qui obtinuit beneficium curatum ex hac causa dispensare. Et ita statuit sacra Congreg.

\* Si studium non exerceat, dispensatio nulla est, *Nau. c. 25. num. 118. c. cum ex eo. de elect. l. 6. cit. à Nau. l. c.*

9 Collatio beneficij Curati ante annum vigesimumquintum saltem inceptum eius cui confertur, nulla est.

\* Vide

\* Vide *Trid. sess. 24. c. 12. Nau. l. c. num. 115.*

10 Collatum alicui beneficium, eius non fit, antequam consentiat.

11 Resignatio beneficij in fauorem alicuius, non transfert in eum ius, antequam ei à Papa, vel Episcopo detur: itaq; potest poenitere qui resignauit, antequam illi detur.

12 Non perditur beneficij possessio per renū- ciationem; nisi postquam fuerit per superio- rem admissa. *Paris. de resigna. benef. lib. 1. q. 5. nu. 24. & 25.* plurimos affert Doct. & dicit esse communem.

13 Beneficium non perditur ipso facto ante sententiam, per inhabilitatem superuenien- tem, vt per homicidium, aut aliud eiusmodi impedimentum.

\* Vide *Nau. c. 27. nu. 251.* docentem per super- uenientem irregularitatem non amitti bene- ficium. *Lopez. p. 2. c. 93. in fin.*

14 Triennio possidens beneficium pacificè, etiamsi mala fide, fit eius Dominus *secum. Nau. & reg. de Trien. possess.* nec tenetur ostendere titulum, vt declarauit Concilij Congreg.

\* *Nau. in c. Accepta de restit. spol. oppos. 8. num. 9. & 10. & conf. 30. de præb. qui conf. 2. de paroch. nu. 4.* dicit triennio beneficium possidentem bona fide facere illud suum, si sine violentia, & simonia obtentum sit: *Couarr. autem reg. Possessor par. 2. §. & num. 10.* ait, non esse tutum in conscientia, qui bona fide, & titulo colorato,

B 5                    obten-

obtentum beneficium per triennem possessionem possidet; ibique perpendit reg. de trien. possess.

15 Nemo sibi potest beneficium conferre.

\* *De excess. Præl. c. 3.*

16 Promissio beneficij vacaturi, aut ad id præsentatio, nec licet, nec valet, quacunq; verborum forma fiat. *Vide de concess. præb. c. 1. 13. & 16. & lib. 6. eod. tit. 6. Detestanda.*

\* *Vide Nau. de spol. cler. §. 19. n. 5. & ca. Ne captandæ eod. tit.*

17 Collatio beneficij facta per Vicarium reuocatum, sed ignorantem reuocationem, valet: itemque renunciatio facta per Procuratorem reuocatum ante iatimationem reuocationis illi factam, etiamsi is, cui fit renunciatio, reuocationem sciat.

18 Obtinens beneficium condemnati per errorem, sed secundum allegata, & probata, iuste possidet.

\* Sententia secundum allegata, &c. ferenda est, licet Iudex, vt vir priuatus, crimen falsum esse, sciat. *Coar. l. 1. var. resol. c. 1.*

19 Potest Episcopus cum illegitimo dispensare ad vnum beneficium Simplex.

\* *Nau. c. 25. nu. 117. c. 1. de fil. presbyt. Mol. dist. 173.* Si personatus, aut dignitas non sit, & ad minores ordines petatur dispensatio.

20 Etiam cum in iure dicitur, vt beneficium vacet ipso facto, sine alia monitione, aut declaratione.

claratione, non priuatur quis possessione, nisi per Iudicem, sed potest interim in conscientia gaudere fructibus: secus est si dicatur, vt collatio non valeat, vt accidit in Simonia.

\* *Sot. l. 1. q. ar. 6. Couarr. epit. p. 2. cap. 6. §. & numer. 8. Mol. distinct. 96.* ita sentit, dum non constet, voluisse Papam, nulla expectata sententia, beneficium amitti: at *Naua. c. 23. nu. 67. & cap. 25. numer. 118.* contrarium tradit, priorem tamen sententiam sequitur opus. de datis, & promiss. *corol. 31. numer. 41.* & secus § *Mol. l. c.*

21 Cui reualidatur titulus beneficij malè acquisiti, potest recipere fructus à se malè perceptos: fructus enim beneficij vacantis debentur successori: vacabat autem iure, etsi non de facto, beneficium illud, & ipse successor est, nisi aliud habeat constitutio, aut legitima consuetudo.

\* *Nau. de spol. cler. §. 12. num. 4.* Qui initio sine iusto titulo beneficium habuit, perceptos fructus restituere tenetur. Quod si titulus non reualidetur, tria habet remedia. 1. potest cum Camera Apost. componere. 2. Ecclesiæ suæ. 3. vel successori eos tradere; qui etiam partem remittere potest. *ibid.*

22 Qui in beneficio malè acquisito fecit debitum officium, potest excusari à fructib. consumptis in vitæ sustentationem, si pauper est.

\* *Vide Couar. epit. p. 2. c. 6. §. & nu. 7.*

B 6

23 Qui



23 Qui beneficium obtinuit simulata sanctitate, vel ob causam turpem, non tenetur resignare, nisi esset turpitudine, quæ collationem iure ipso nullam redderet, vt Simonia.

\* *Sot. l. 9. q. 7. art. 3. col. 9. alij tamen aiunt. vide Sot. l. c. & Mol. dist. 210. vbi de eleemosyna, & c.*

24 Clericus in sacris si contrahat matrimonium, non ideo perdit beneficium, nec si est in minoribus, & contrahat solum sponsalia de futuro, *Syl. ver. Beneficium 3. nu. 22. & Glo. c. 1. de Cler. coniug.*

\* *Vide Nau. c. 25. nu. 120.*

25 Filius illegitimus non potest habere beneficium in Ecclesia, in qua pater habeat, aut habuit, nec pensionem super patris beneficio. *Ex Concil. Trid.*

\* *Nau. l. c. nu. 117. & Trid. 3. sess. 25. c. 15.*

26 Nec legitimus potest habere beneficium quod pater habuit.

\* *c. Constitutus de fil. presbyt.*

27 Capellania instituta cum conditione, vt detur Sacerdoti, aut in certa familia ei, qui sit Sacerdos, potest, *secundum Nauar.* dari ei, qui non est Sacerdos, modò fiat quam primùm Sacerdos.

28 Capellanus obligatus ad celebrandum, potest id per alium facere. *Ex Congr. Conc.*

29 Collatio beneficij facta irregulari, suspenso, aut interdicto, nulla est, ideoq; solet in collatione dari Absolutio à talibus impedimētis.

\* *Vide*

\* Vide iura cit. à *Nauar. c. 25. num. 133. Lopez p. 2. c. 93. in fin.* etiam excommunicato ignorant, se talem esse: nam ignorantia non efficit acquisitionis capacitatem. *Nau. c. 27. num. 172.* Si ad Episcopum collatio spectet, dispensare is potest. *id. ibi.*

30 Ante decimumquartum inceptum nullus potest beneficium obtinere, nec pensionem, nisi in fundatione beneficij aliter fuisset cautum. *Ex Trid. Concil. & Concil. Congr.*

\* *Trid. sess. 23. c. 6. de ref.*

31 Ad dignitatem, & Personatum sine cura requiruntur vigintiduo anni incepti. *Ex Trid. conc. sess. 24. c. 12.*

32 Collatio beneficij, aut Ecclesiasticæ iurisdictionis facta non habenti primam tonsuram, nulla est.

\* *Tol. l. 5. c. 79.* Nulla etiam in vtroque foro collatio facta indigno. *Petrus Nauar. l. 2. cap. 2. num. 154. de restit.* quare perceptos fructus, & damna, ea collatione illata, restituere tenetur. *ibid.*

33 Quod sine Ecclesiastica auctoritate fit, aut datur, nō est beneficium Ecclesiasticum, itemque vbi non est ius percipiendi redditus.

34 Appetere, aut procurare sibi Curatum beneficium, non semper est illicitum.

\* *Caie. ver. Beneficium. Fu. 16. nu. 37. vide Nauar. ca. 23. num. 15.* Dignus potest appetere, sublato malo sine, etiam episcopatu. *m. Nauar. mi-*

*Scel. de orat. 41.* Appetere autem episcopatum, ob terrena, & illa episcopatus finem constituere. p. m. est. *Sot. l. 10. q. 1. art. 1.*

35 Collatio beneficij contra fundatoris instituta, non valet.

\* *Nau. c. 25. nu. 117.*

36 Iniqua est institutio prohibens dari Curatum in meliori, eo quod fit extra certam familiam, ideoque non seruanda. *Sot. lib. 3. de Iust. quest. 6.*

37 Potest Episcopus ex causa cum consensu hæredis dispensare, vt detur beneficium non habenti omnia requisita à fundatore, itemq; cum consensu Patronatus ius habentis mutare aliquid in institutione beneficij, *secundum Nau. conf. 3. de cler. non resid.*

38 Qui sine animo Clericalis status percipit fructus beneficij non Curati, non tenetur illos restituere. *Sot. li. 10. de Iust. q. 5. art. 6.* quod si ex Curato percipit sine animo suscipiendi Sacerdotium, tenetur restituere, nisi annum mutet, intra annum. *Vide Nau. cap. 25. numer. 118. §. 10.*

\* Qui sine *Nauar. capitul. 25. num. 118.* Quod si *id. ibid.*

Nisi *c. Commissa de elect. lib. 6.* Intra annum Sacerdos fiat. *Lopez. p. 2. c. 95.* vbi de hoc multa *Nau. c. 25. nu. 118.*

39 Habens beneficium tenetur intra annum Ordinem ad illud requisitum suscipere: quod si li-

si licentiam habeat non suscipiendi Ordinem, dicit per Capellanum Missas ad quas tenetur.

*Ex Trid. & Conc. Congr.*

\* Intra annum } cessante iusto impedimento, *Trid. sess. 22. c. 4. de reform. & Trid. l. c.*

40 Absentes cum licentia causa studij, non recipiunt distributiones quotidianas. *Ex Congreg. Concil.*

41 Docens publicè scripturam, aut audiens, percipit beneficij fructus absens, *Trident. sess. 5. c. 1. de refor.*

42 Dare beneficium simplex digno, relicto digniori, non est peccatum mortale, communiter. *Sot. lib. 3. de Iust. q. 6. art. 2. secus si sit Curatum, non tamen tenetur, qui dedit restituere digniori.*

\* *Caie. 2. 2. q. 62. ar. 2. Sot. l. 3. q. 6. art. 2. in fine. Nau. tamen miscel. 43. de ora. id. m. p. putat. Bannes q. 63. ar. 2. dub. 5. licet, ex communi sententia referat, satis esse eligere dignum, probabilius tamen putat, teneri Episcopos digniores eligere. Vide quæ Arrag. scribit l. c.*

*Secus } Bannes l. c. dub. 3. concl. 2. Salon q. 63. art. 2. cont. 3.*

Non tamen } *Cou. reg. Peccatum p. 2. §. 7. n. 6. Val. t. 3. d. 5. q. 7. p. 2. dub. 6. Sot. l. 4. q. 6. art. 3. ad 6. Nau. c. 17. nu. 73.*

43 Dans beneficium indigno, tenetur Ecclesiæ cui damnum dedit, non autem digno, etsi quidam id affirmant.

\* *Val.*

\* *V al. Sot. Nau. Couar. l. c. Nau. de re dit. Eccl. q. 2. Mon. 23. Adrian. de rest. q. 15. Mercat. de restit. c. 17. num. 7. § et si quidam § Salon. l. c. art. 4. contro. 3. concl. 4. Ecclesiæ, & digno restituendum putat, P. N. l. 2. c. 2. n. 144. 146. vide Palud. cit. à Caieta. 2. 2. q. art. 2.*

44 Beneficiati possunt tanquam domini disponere de fructibus assignatis sibi pro stipendio, modo quæ supersunt honestæ sustentationi, & officijs honestis, dent pauperibus vel operibus pijs, quod tamen si non faciant, non tenentur restituere. Est autem honestum officium, filiam dotare; quod tamen quidam nolunt de bonis Ecclesiasticis fieri, si alia habeantur unde fiat: itemque cognatos iuuare, vt decenter viuant.

\* *Sot. l. 10. q. 4. art. 3. ex D. Tho. Io. Arbor. Driedo. Caieta. Mol. d. 144. Bannes. 2. 2. q. 32. art. 6. Abul. in c. 6. Matth. q. 74. Couar. in c. cum in officijs, de test. num. 3. & alij putant beneficiatos non teneri ad restitutionem, licet mortiferè peccent, si in vitios vsus Ecclesiæ bona impendant: contrariam sententiam multistuetur Nau. comm. de reddit. eccl. cum Alex. Rich. Maio. Palud. Ant. Gab. Pan. Archid.*

Est autem. § *Mol. d. 146. si filia sint spuria, & alia non habeat bona, potest illis alimenta, & dotē dare post Bullam Pij V. relatam à Nau. de spol. cl. §. vlt. n. 11. vide locum, si libet. § Item, que § Mol. l. c. Nau. Apol. de red. mon. 77. q. 1.*

45 Potest beneficiatus disponere non solum de redditibus beneficii, sed etiam de rebus immobilibus ex illis suo nomine emptis. Meliorationes autem factæ in bonis Ecclesiæ, ut domo, aut agro, eius quidem erunt quamdiu viuit, etiamsi beneficium relinquat, aut eo per iudicem priuetur; at in morte erunt Ecclesiæ. *Vide de Pecul. Cler. c. 5.*

\* Si sit præscripta consuetudo, ut testari possit (testari enim ex iure non potest) *Mol. d. 147. vide Cou. in c. cum in officijs de testam. nu. 5. Nau. Apol. q. 1. mon. 48. 50.*

46 Patrimonium Ecclesiastici morientis ab intestato sine hæredibus, dandum suæ Ecclesiæ.

47 Debita beneficiati soluenda ex bonis, quæ reliquit moriens. *Vide lib. 6. de offic. ord. c. Præfenti.* Quod si non reliquit quantum opus onus est, soluet successor in beneficio, si contracta sunt pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, secundum Innoc. Imò etiam, secundum Host. & Panorm. si contracta pro antecessoris necessitate, quod ego non puto in usu esse, etsi valde rationabile. *Vide Ecclesia.*

\* Successor non tenetur præcessoris debita soluere, nisi sint ratione Ecclesiæ contracta, neque ea, si Ecclesia bona habeat ad id statuta, aut populus ex consuetudine ad id teneatur. *Nau. de spol. Cle. §. 10. nu. 7.*

48 Distributiones quotidianæ debentur iustè impe-

impe-

impedito, modo adsit in eo oppido, & soleat, cum sanus est, Officijs interesse.

\* *Nau. conf. 10. & 11. de Cle. non resid. Couarr. l. 3. var. resol. c. 13. illat. 12. P. N. l. c. n. 208. imò iniuste in exilium pulsus, carcere detentus, iniuste excommunicatus, aut suspensus, Nau. l. c. Couar. l. c. nu. 8. illat. 7. P. N. ibi. nu. 259.*

49 Cum distributiones ex priuilegio conceduntur absenti, intelligitur si ille absit causa iusta.

\* *P. N. l. c. num. 239. vide Fr. Benefic. numer. 55. Absentes ob utilitatem suarum Ecclesiarum, aut Capituli censentur residere; vt habeant distributiones, Nau. conf. 8. tit. cit. & necessitas corporea difficilem notabiliter, incommodūque accessum efficiens ad chorū distributiones lucratur. Nau. l. c. conf. 9. num. 7.*

50 Excommunicatus, vel suspensus à beneficio, interim dum quærit absolui, potest fructibus vti sibi, & suis necessarijs, *secun. Nauar. & alios.*

\* *Nau. c. 25. num. 124. Depositus etiam ob crimen (non autem solemniter) vel excommunicatus, suspensusve, ob contumaciam P. N. l. c. nu. 236. ex Couar.*

51 Permittens notabiliter lædi possessiones beneficij, tenetur restituere,

\* *Nau. l. c.*

52 Fructus malè percepti dandi Ecclesiæ, vel pauperibus: si autē sunt distributiones, ijs qui Officijs interfuerunt, \* *Nau.*

\* *Nau. l. c. num. 123.*

53 Fructus percepti tempore vacationis, dandi Ecclesiæ, vel successori.

\* *Vide Lopez p. 2. c. 103. in fin.*

54 Fructus collecti ante mortem beneficiati, vel ei debiti ob seruitium, sunt hæredis: quòd si nullus sit heres, sunt successoris, vel fortè ex vsu Camera Apostolicæ.

55 Canonicus habens Capellam, non recipit distributiones horæ, qua Missam celebrat.

56 Qui post sex menses ab obtento beneficio etiam Præstimonio, non impeditus legitimè, non recitat Officium, non facit fructus suos, sed tenetur dare fabricæ beneficij, vel pauperibus: omnes quidem totius diei, si totum eius Officiū omissum, alioqui pro Matutino omisso dimidiū, pro quauis alia Hora sextam partem, idemque est faciendum ei, qui vt Clericus habet pensionem, si non recitat Officium B. Mariæ. *Ex Bulla Pij V.*

\* *Vide Nau. l. c. nu. 123. Tol. l. 2. c. 12. num. 6.* Si distributiones diuidantur inter eos, qui choro interfuerunt, ijs reddendæ. *Nau. l. c.*

57 Si talis pauper est, potest sibi retinere de consilio Confessoris, *secundum Nauar.*

\* *Tol. l. c. Nau. l. c.*

58 Quòd si fecit alia, ad quæ ob beneficium tenebatur, poterit sibi retinere quantum illa merentur. Itaque sufficet Parocho, restituere quintam partem; Canonico, quartam; alijs benefi-

benefi-



beneficiatis, tertiam, vt quidam dicunt.

59 Qui potest conferre beneficia, potest concedere, vt permutentur; Sed nunc obseruanda est constitutio Pij V. quæ incipit: Quanta,

\* *De perm. benef. Zech. de benef. c. 10.*

60 Potest auctoritate Papæ in commutatione beneficiorum fieri compensatio per pensionem, aut pecuniam pro fructibus alterius beneficij maioribus.

61 Non potest Notarius pro literis beneficij, scilicet, pro charta, labore, & alijs accipere, nisi vnum aureum. *Ex Trid. & Concil. Concil.*

Addit. 3 \* Resignantes beneficia ad fauorem fati est, si dignum eligant. *Caie. ver. Beneficium Arrag. q. 63. ar. 2. in 2. 2. ex communi. col. 12.*

Resignationes ad fauorem ab Episcopo non possunt admitti, sed à Papa admittuntur. *ex Pij Quinti Mot. propr. condito 1567. & v. Arra. l. c.*

### Blasphemia.

1 **B**lasphemia grauior est periurio, & homicidio.

\* *De Blasphemia multa Azor. l. 9. c. 28.*

\* *Fum. Blasph. 2. Sot. l. 8. q. 2. art. 3.*

2 Ne blasphemus absoluat sine graui pœnitentia seueri Confessarij arbitrio iniuncta, statuit Concilium Lateranense, & consonat Tridentinum, Sess. 14. c. 8.

\* *Vide Nauar. c. 12. num. 83. Azorium t. 1. libr. 9. c. 28. q. 9.*

3 Bla-